

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**De Nominis Divini Significatione Intensiva Apvd Hebraeos  
Adversvs Iohan. Sam. Wiesnervm**

**Beyer, Carl August**

**Lipsiae, [MDCCLXIII?]**

**VD18 13066439**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15634**

DE  
NOMINIS DIVINI SIGNIFICATIONE  
INTENSIVA APVD HEBRAEOS  
ADVERSVS  
IOHAN. SAM. WIESNERVM

47

---

EPISTOLA  
AD  
VIRVM PLVRIMVM REVERENDVM  
CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM  
IOHANNEM GOTTFRIED  
FLECCIUM

AA. M. ET V. D. APVD LVPTICENSES ET ZSCHORNENSES  
MINISTRVM BENE MERENTEM

QVVM NVPTIAS CELEBRABAT  
SOCIETATIS PHILOBIBLICAE LIPSIENSIS

NOMINE SCRIPTA

A  
CAROLO AVGVSTO BEYERO CITIZ.


AA. M. ET AD D. PETRI CATECHETA.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

3148





MAXIME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO  
V I R O  
M. IOH. GOTTFRIED FLECCIO  
V. D. M.  
M. CAROLVS AVGVSTVS BEYER  
S. P. D.

 Quum nostra societas, quae magnam semper ex felicitate singulorum sodalium percipit laetitiam, mihi officium demandaret, TIBI, VIR PLVRIMVM REVERENDE atque GLARISSIME, nuptias diuinis auspiciis celebraturo gratulandi: profecto nihil mihi potuisset accidere iucundius acceptiusque. TIBI enim est scribendum cuius epistolae dici non potest, quam me delectent; eius societatis nomine TE cum mihi loquendum est, in quam TV ipse olim me recepisti. Accedit vero, quod tanta TVA erga me est beniuolentia, et quod nostra amicitia, quae ex summa voluntatum, sententiarum, studiorumque consensione nata est, et cuius non solum recordatio, sed vsus etiam nunc me delectat, ita firma est atque stabilita, vt nisi animus summo hac occasione gestiret gaudio ingratus et amici nomine indignissimus plane viderer. Et quid magis me ad laetandum congratulandumque excitet, quam quum videam TIBI DEI O. M. beneficio eam obtigisse coniugem, quae virtutibus nulli cedat, et quae profecto TIBI in omnibus vitae vicissitudinibus comes futura sit suauissima? Non igitur officium TIBI praesto tantum necessitatis, in quo plerumque eo minor est commendatio, quo saepius simulatio eo tegitur: sed amicitiae potissimum, *in qua nihil fictum*, quod recte Laelius apud Ciceronem (de Amicit. c. 8.) ait, *nihil simulatum, sed quicquid in ea est, id verum et voluntarium.* Quum vero  
A 2 sciam



sciam TE, DOCTISSIME FLECCI, eo maxime epistolarum genere delectari, in quibus de aliquo doctrinae capite exponitur; TVAE enim epistolae non solum humanitatem amicitiamque produnt, sed doctrinam quoque, quae in TE summa est: nec hodie istam nostram consuetudinem intermittam. Permitte igitur, vt TE haec epistola aliquamdiu a suauiissima IDIA detineat; permittite, vt, antequam demantato officio defungar, TIBI causam, quae mihi cum viro doctissimo est, exponam, TE que in ea re arbitrum constituam.

Dubius animus quum in eligenda haereret ad scribendum materia, quae et TE, VIR DOCTISSIME, et Societate nostra, cuius nomine differendum est, non plane esset indigna: incidi in dissertationes, quibus *profanationem nominis Diuini a syntaxi Hebraeorum* depulit VIR MAX. REVER. atque DOCTIS. IOH. SAM. WIESNERVS. Nosti VIR CLARISSIME, nos in Societate Philobiblica de eadem re aliquando disputasse, quum sodalis quidam doctissimus negaret nomen DEI ab Hebraeis loco superlatiui adhiberi, et praesertim his WIESNERI disputationibus niteretur. Legi igitur eas, eoque animo legi, vt si dubitationibus meis satis fieret istam opinionem dimitterem. Verum quanquam CL. WIESNERVS omnem operam omneque studium adhibuit, vt hanc regulam omnifundamento destitutam ostenderet, et omnes locos librorum Diuinorum alia ratione esse explicandos, mihi tamen persuadere rei veritatem non potuit. Sunt vero duae dissertationes et tria programmata, quae ad hanc causam pertinent, et prodierunt Erlangae 1755-1758. Prima disputatione ex principiis aduersus hanc regulam differit, in reliquis exempla fere omnia profert. Atque in hac altera parte potissimum disputauit aduersus VIRVM CELEBERRIMVM mihiq; multis nominibus per totam vitam colendum CHRISTOPH. WOLLIVM, qui de *ἀνξήσει* nominum Diuinorum ad calcem parentheseos S. differuit. Optime scis FLECCI AMICISSIME, quanti hunc virum semper aestimauerim atque adeo debuerim, quantamque in eius morte iacturam fecerim, quum non solum praeceptorem studiorumque ducem, sed patronum etiam, qui paterno amore me amplexus est, perdiderim. Liceat igitur mihi eius in hac re causam defendere. Is vero ego non sum, qui studio amici aut patroni veritatem negligam, aut qui ea tantum vera esse putem, quae magister docuit. Nam in eam rem nec animus me fert,



fert, qui libere semper agere et cogi non nisi argumentis vult; nec tristis aliqua eius vnquam eligendae mihi fuit necessitas. Eiusmodi enim mihi, quae DEI est gratia, contigerunt praeceptores, qui facile me a se dissentire paterentur et qui alios audire eosque auctores sequi me nunquam prohiberent. WOLLIVM meministi N. T. dicendi genus pure Graecum esse defendere et paucos admodum in eo Hebraismos agnoscere, et tamen me longe ab ea sententia discedere haud aegre tulit saepiusque de ea re perquam humane mecum disputavit. Quae initio statim dicenda duxi, ne ex studio praeceptoris magis, quam veritatis, disputare viderer: quanquam necessarium fortasse non fuit, quia TV non reprehendes, qui me penitus nosti, nec WIESNERVS reprehendere poterit, qui HVTHIVM praesertim *Virum longe doctissimum*, suum praeceptorem, in hac causa secutus est. Tempus vero non patitur, vt multis verbis disputem, nec adeo res ipsa postulat: quia alii praeter WOLLIVM etiam hanc ipsam regulam explicuerunt et satis confirmarunt: igitur rem ita instituum, vt primum principia REVERENDI WIESNERI destruam, aliudque iaciam fundamentum; deinde pauca afferam exempla, ostendamque ea aliter explicari non posse. Ita puto effici posse, vt regula de significatione intensiva N. D. WOLLIVS quae, qui eam statuit, defendatur et profanatio ipsa depellatur.

Quanquam principia, CLARISSIME FLECCI, quibus aduersus nos pugnat CL. WIESNERVS, eiusmodi sunt, vt non facile quenquam in ipsius partes deduxerint: tamen quum iis rem omnem absolui posse contendat, destrui a me debent, vt sublato fundamento totum corruat aedificium. WIESNERVS primum in eo verfatur, vt inuidiam huic regulae creet; sed haud ignoras, VIR DOCTISS. eiusmodi argumentis nihil effici, animos potius exacerbari, et malae saepissime causae esse indicia. Nihil temere dixi. Absit enim a me, vt cuius rei accussem alterum, eiusdem ipse reus fiam. Sed quid TIBI videtur, FLECCI DOCTISS., si hanc regulam admitti non posse audias, quia inuentum Rabbinicum est (Sect. I. §. 2 f.)? Verum quid de vniuersa paene Hebraeorum Grammatica fiet, si ea omnia sint reiicienda, quae Iudaei docuerint? Sint Rabbinorum libri plerumque fabulis referti, neque tamen omnia fabulis sunt adnumeranda, quae ipsi docent. Non igitur reprehendus est WOLLIVS (Sect. II. §. 2.) qui Rabbinis meritas tribuit lau-



des: legerat eorum commentarios et multum se ex iis profecisse profiteri non dubitavit; sed reprehendus est WIESNERVS, qui WOLLIO has laudes vitio vertit. Neque enim WOLLIVS KIMCHIVM, ABENMELECHVM, ABARBANELEM et ABENESRAM veteres dixit Hebraeos; esse enim recentiores negari nequit: sed ait veteres Hebraeos recte N. D. ad augendam significationem vsos esse. Recentiores igitur ex veterum scriptis hanc regulam didicerunt, et quum docuerint, fecerunt quod Grammaticorum est. Num vero hanc regulam nesciremus, si isti Grammatici eam non inculcassent? Nonne ipsi libri diuini nobis occasionem darent eam formandi? Profecto etiamsi nemo Grammaticorum docuisset v. c. tempora Hebr. interdum sine discrimine poni: ipse tamen vsus et vel vnus capituli lectio nobis ostenderet perfectum, quod dicunt, pro futuro, et hoc pro illo saepius adhiberi. Alterum, quo WIESNERVS inuidiam huic regulae conciliat, et vnde confirmat, *perinde non esse vtrum adoptetur hoc assertum, an reiiciatur*, est, quod *Sociniani eam in res suas insigniter vertere possint* (Sect. I. §. 5). Quid vero TIBI videtur FLECCI DOCTISS.? Num ideo admitti plane non potest, quia *Sociniani* hunc illum locum, quem nostri Theologi pro adorando SS. Trinitatis mysterio adferunt, ex hac regula explicant? Sunt alii loci permulti, quibus niti possumus, etiamsi ex hoc illoué loco res doceri satis commode non possit. Etiamsi v. c. ENIEDINVS locum *Genes. XIX, 24.* hoc modo explicet, vt *מאת יהיה* ipsi sit epitheton ignis et sulphuris i. q. vehemens, multus, copiosus; ex aliis fortasse argumentis ostendi potest, hoc non ita esse; aut si sit, ipsa tamen Trinitas negari inde non poterit. Est criticis regula, quam magnae esse utilitatis, saepe etiam necessitatis optime nostri DOCTISSIME VIR, quae vero statim e critica S. expellenda est, ac nihil retineri poterit, quod in res suas conuertunt *Sociniani*. Docent critici interpunctiones N. T. non esse tantae auctoritatis, vt recedere ab iis non possis, si res ita postulet. Hoc canone *Sociniani* etiam vtuntur v. c. in loco *Rom. IX, 5.*, vbi post *κατὰ σάρκα* interpunctionem maximam poni iubent (vid. SOCINI responsio ad libellum IAC. WVIERII p. 262 sq.) Quid hic nostri Theologi et Critici? Num negant interpunctiones, quae a vulgaribus recedant, admitti posse? Nihil profecto minus. Ex ipsis verbis Paullinis ostendunt illam interpunctionem *Socinianorum*  
omnem



omnem loci intelligentiam turbare. Atque eodem modo in usu huius regulae procedere possumus, ut adeo *Nomina Diuina* in significatione intensiua poni interdum, profiteri non prohibeamur ab usu *Socinianorum*.

Verum haec argumenta esse leuissima ipse fortasse non negat DOCTISS. WIESNERVS. Hinc (sect. I §. 8.) argumentis tam a priori, quam a posteriori desumptis, suam comprobare opinionem incipit. Atque hic in primis contendit, hac regula admissa profanari N. D. atque blasphemari. Ne vero frustra haec dixisse videatur, en eius argumenta. Primo nititur potissimum in eo, quod lingua *Hebraeorum* sit sancta; deinde se uero interdicto DEI *Exod.* 20, 7; denique exemplis quibusdam, quae ad hanc regulam non nisi per summam blasphemiam applicari possint. Vides VIR PLUR. REVER., WIESNERVM his argumentis causam quidem suam ornare quodammodo, sed non multum adiuuare. Linguam Hebr. dicit *sanctam, originariam, a DEO ipso edoctam, perfectissimam, castissimam et vel decori studiosissimam*: inde cogit ex eius syntaxi hanc regulam esse proscribendam. Hoc putas inde cogi non posse. Verum finge, N. D. huius regulae usu profanari: WIESNERO argumentationem concedes. De hoc vero disputamus. Non sunt TIBI ignotae controuersiae, quae fere de his omnibus, quae sibi sumsit WIESNERVS, motae sunt, sed non iam id agimus, ut de lingua primaeua et de sanctitate, perfectione, castitate et *εὐφροσύνη* linguae Hebr. disputemus. Mittamus igitur haec. Facile in his sibi consentientem me habebit WIESNERVS, etiamsi fortasse in notionibus definiendis aliquantum discrepemus: atque etiam TE, AMICISSIME FLECCI linguae Hebr. magnam auctoritatem tribuere haud ignoro. Igitur res eo redit, ut inquiramus, an N. D. hac regula profanetur, nec ne. Si illud, argumentatio WIESNERI recte se habebit; sin minus, fortasse et ipse WIESNERVS in nostram discedet sententiam. Atque hic lubens concederem CL. WIESNERO profanationem videri posse, si nulla exempla in ipsis libris diuinis adessent; sed nos hunc loquendi modum excogitaremus. Sed in libris diuinis adsunt exempla, eaque non pauca, profanatio igitur in ea re esse plane non potest. Sumamus CL. FLECCI, quod supra sibi sumsit WIESNERVS, DEVM esse linguae Hebr. auctorem, DEVM primis hominibus eam quasi infudisse: DEVS igitur



tur etiam huius loquendi rationis auctor reperitur. Quod si vero linguam Hebr. aliquis primaeuam non putet, concedet tamen DEVM esse librorum diuinorum auctorem, et SP. S. non modo res, sed verba etiam, quia illae disiungi ab his commode non possunt, prophetis et Apostolis inspirasse, ergo etiam SP. S. v. c. *montes altissimos dixit montes DEI*. Quod si vero DEVS hac ipsa formula vsus est: num dicemus, DEVM suum nomen profanasse? Nonne inde potius elucet, sanctitatem N. D. integram manere, etiamsi ea formula vtamur? Hic iam non disputamus, an re vera eiusmodi ratio loquendi, si in libris diuinis occurrat, in significatione intensiua sit accipienda; sed de hoc postea agemus: verum an sit profanatio, si eiusmodi formula ita accipiatur. Vides VIR CLARISS. fluctuare quodammodo nostram disputationem: nam de rebus Grammaticis argumentis philosophicis differere profecto non licet: sed quia WIESNERO placuit, hanc Grammatices regulam eiusmodi telis oppugnare, et mihi liceat similibus armis eam defendere. Nam profecto exempla si adsunt, omnia ista argumenta nihil prorsus valent, et ex re ipsa apparebit, profanationem N. D. in iis esse non posse. Noli igitur, *amicissime FLECCI* petitionem, quam dicunt, principii mihi tribuere: sed quicquid sit ordini disputationis tribue. Iam enim WIESNERVM sequimur, postea rem nostro modo exponemus. Ne quis igitur cum WIESNERO (S. I. §. 9.) dicat esse profanationem patere etiam ex interdicto, quod *Exod. XX, 7.* habetur, hinc in S. litteris locum habere non posse: ad hoc etiam breuiter respondeamus. Est vero hoc interdictum: **לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם־יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לְשׁוֹן** ne accipito nomen IEHOVAE DEI tui in vanum. Queritur vtrum de iure iurando tantum sit intelligendum, an de quocunqve vsu nominis Diuini? Quicquid eligas eodem fere res redit. De iure iurando tamen fateor me malle cum GROTTIO aliisque interpretari, quia non solum **נִשְׁבַּע** de ea re adhibetur v. c. *lef. III, 7:* sed etiam **נִשְׁבַּע לְשׁוֹן** mendacium atque rem falsam significat, prorsusque inanem. Atque ita etiam *Pf. CXXXIX, 20.* **נִשְׁבַּע לְשׁוֹן עִירֶיךָ** recte vertit qui peierant per vrbes tuas ILLVST. MICHAELIS ad Lowth de poesi Hebr. p. 385. Tunc enim diceret DEVS: *ne iurato per nomen DEI tui s. per DEVM tuum in re inani aut falsa.* Quod si vero de quacunqve vsurpatione N. D. intelligatur, aduersus nos tamen nihil efficiet.

לְשׁוֹן



נִשְׁבַּח לֵאלֹהֵינוּ enim aduerbialiter exprimendum est, *temere*, et sensus erit: *ne temere vsurpator nomen IEHOVAE DEI tui* i. e. ne profanato nomen meum. Atque nunc res ad eandem redit quaestionem, num eiusmodi vsu profanetur N. D. nec ne. Ille ait, nos negamus, et supra iam satis nostram sententiam confirmasse videmur. Atque hic ipsa WIESNERI verba in vsu nostrum conuertere iuuat: *vanitati*, inquit, (l. c. p. 19.) *exponuntur et profanantur veneranda DEI nomina, quoties ea de dignitate sua videmus deiecta: sed si in significatione intensiua adhibentur et ad efformandum superlatiuum, de dignitate sua non deiiciuntur, sed potius dignitatem atque praestantiam Diuinae maiestatis ante oculos ponunt, id quod postea declarabimus. Quod de summa blasphemia (S. I. §. 10.) dixit VIR Reuerend. iam omittemus, quia deinde aptior respondendi erit locus.*

Alterum argumentum, quod aduersus nos CL. WIESNERVS, etiam atque etiam vrget, et in quo summum causae suae praesidium esse putat, ipse sic profert (S. I. §. XI.): *frustra quaesieris regulae, quam proscribimus in linguis aliis patrociniū. Abstinet hac a constructione lingua Latina; abhorret idioma Gallicum; Graecus ignorat sermo; Germanorum grauis loquendi ratio abominatur.* Fortasse exempla satis multa occurrent TIBI, VIR DOCT. qui Romanorum Graecorumque libros et nunc, quantum munus patitur, indefesso studio, nec sine summa voluptate lectitas. Occurret TIBI diuina Ciceronis eloquentia, diuinum ingenium, coeleste atque diuinum pectus, diuina virtus. Occurret Pythagoras, quem discipuli Θεῶν appellare non dubitarunt. Fortasse haec occurrent facilius, quum diuinam CHRISTIANAE TVAE cogitas virtutem. Occurret etiam haud dubie Francogallorum *divin* et Germanorum *goettlich* praesertim a poetis eodem modo adhiberi. Sed caue dicas, *ne miram elenchi committas ignorantiam, miscens quadrata rotundis, totumque peruertens controuersiae statum.* Ita enim WIESNERVS certe (l. c. p. 23.) viros doctos, qui eiusmodi exemplis vtuntur, pace tamen ipsorum exorata, obiurgat. *Quantum enim coelum a terra, tantum etiam distant, quae adiectiue, et quae substantiue enuntiantur. Ingenium diuinum miraberis, ingenium DEI ridebis.* Risum teneamus, Amice, quoniam nemo sanus Latine loquens ita dicet, nisi fortasse Iudaeus. Latini enim substantiuus

B

non





non ita vtuntur, quemadmodum Hebraei. Dices igitur, Hebraeos adiectiuo carere, eiusque loco substantiuum adhibere: et quid ad haec WIESNERVS? Non haec ignorat, sed non fatetur idem esse. Non possum facere, quin ipsius afferam verba (p. 24.): *Tantum Numinis venerationem testatur lingua Ebraea, vt ne adiectiuum quidem formet a nomine diuino deriuatum; vt oleum proinde perdant et operam, qui ex phrasibus istiusmodi, Graeciae Latine profani, regulam Grammaticae Ebraicae cerebrinam commendare suscipiunt.* Amabo TE FLECCI, quid respondeam? Profecto oleum et operam perderem, si diutius huic rei inhaererem. Augeat WIESNERVS linguam Hebraeam adiectiuis, aut Latinis Graecisque veniam conciliet Hebraismum sine vitio sermonis adhibendi: tunc comparatio institui poterit, nosque respondebimus pluribus. Neque defunt exempla vocabuli Θεός in simili causa adhibiti praesertim a poetis, qui Hebraismos amant: sed nec haec WIESNERO satisfaciunt. Afferit verba GEORGII (Vind. N. T. ab Ebrais. p. 345.) qui exempla eiusmodi collegit, quanquam in alia causa, et vbique ait (§ XIII.) ethnicismum deprehendi, frustra vero quaeri superlatiuum. Ambabus WIESNERO concedimus Theologiam paganorum longe aliam esse ac Christianorum. Quod vero discrimen nihil eum iuuat. Pagani enim si DEVM dicunt summum et perfectissimum cogitant numen, hinc et summa et perfectissima Diuina dicunt. Ex eadem ratione Hebraei et Christiani vocabulum DEVS et *diuinus* ita adhibent, licet hi rectius, quam illi, de DEO cogitent.

Haec sunt argumenta, quibus rem omnem perfici posse contendit WIESNERVS. Verum mouere me non potuerunt, vt relinquerem pristinam sententiam, sed eorum infirmitas me potius in ea confirmauit. In sectione II. omnia exempla profert et ita explicat, vt ex ipsius opinione, nullus huic regulae locus relinquatur. Non vero opus videtur, vt omnia afferam exempla, et alio modo explicem: nam nec in omnibus, quod lubens fateor, locum habet: nec vt multa; quum iam alii, qui de hac regula praeceperunt, VORSTIUS, DANZIUS, WOLLIUS magnam exemplorum siluam collegerint. Itaque in paucis tantum exemplis acquiescam. Nam si vnum alterumue adest exemplum, in quibus locum habet regula, de qua disputamus, firma stabit, immota atque inconcussa.

Antequam



Antequam vero exempla proferam, opus est, ut de recto regulae fundamento simus solliciti, et originem huius regulae, quantum fieri potest brevissime demonstramus. Ipsa regula haec est, quemadmodum eam GLASSIUS refert (Philolog. S. L. III. Tr. I. can. 17. n. 3.): *Nomina DEI יהנה אלהים אל* *adhibentur epitheti loco pro diuinum, quo summum excellentissimum aut maximum et vehementissimum significatur.* Quam regulam GLASSIUS ita intelligendam esse censet, ut nomen DEI additum significationem retineat maxime propriam causamque denotet efficientem, intensiva autem significatio secundaria sit et consequens. Quae ratio si valeat dicant huius sententiae patroni, cur non ad omnia possit applicari. Neque enim GLASSIO et reliquis, qui hoc istius regulae fundamentum esse putant, concedere possumus omnia, quae a DEO proficiuntur, magna esse atque eximia; neque inde, si concederemus, pateret, cur v. c. dicerent Hebraei *cedros DEI*, non vero *gramen* aut *olus DEI*, quum tamen DEYS et haec et illas creauerit. Atque hac ratione profecto omnis idea excellentiae periret. Niniue v. c. quae *vrbs DEI* dicitur, non haberet maiorem excellentiam, quam aliud quodcumque oppidum, cui gratia Diuina magna accesserunt commoda. Non igitur existimo causam atque originem huius modi loquendi esse ex creatione, sed altius quodammodo repetendam. Scilicet ipsa DEI O. M. maiestas, quae summa, perfectissima et praestantissima est, huic loquendi formulae originem dedisse videtur. Quaecumque enim in DEO sunt, non nisi magna atque eximia cogitari possunt. Quae quum veteres Hebraei optime haberent cognita atque perspecta, ipsa etiam lingua sua declararunt, ut summa quaecumque atque eximia *diuina* dicerent, et loco adiectiui, quo carent, substantiuum adhiberent. Non tantum vero Hebraei, Arabes et caeteri orientales, sed et Graeci atque Latini. Hi enim quanquam plures colerent deos, eorum tamen, aut, si ita mauis, Iouis ex ipsorum opinione summi Dei, maiestatem summam habuerunt atque perfectissimam. Igitur in hac re analogia linguarum agnoscenda est. Atque adeo CLARISS. FLECCI non modo ideam magnitudinis, sed praestantiae etiam in hac regula attendendam esse existimem: quum reliqui interpretes satis habeant, si magnitudinem attendant. Quod exemplis vberius videtur declarandum. Liceat vero hic paucis



exemplis omnem rem perficere, ne TE fastidium capiat, neque modum epistolae nimis excedam. Notissimus est locus *Genes.* XIII, 10. vbi tractus Iordanis fuisse fertur כַּנְיֵהוּהָּ sicut hortus amoenissimus. Arridet versio Werthemiensis: *die schoenste Gegend von der Welt.* Secundum WIESNERVM (S. II. §. 9.) vox Iehoua designat causam laetissimae conditionis efficientem. Quod quidem nemo negauerit, DEVM esse causam efficientem, neque tamen quispiam hic indicari putauerit. Sed TV, CLARISS. FLECCI, et quisquis aequus et intelligens lector arbiter esto, quid commodius sit ad verba Mosis intelligenda. Sic etiam גֵּן-אֱלֹהִים *Ezech.* XXVIII, 13. XXXI, 8. 9. tractum fertilissimum amoenissimumque significat, et *Ez.* LI, 3. גֵּן-יְהוּהָּ idem est quod עֵרֶן. Luculentus est locus *Pf.* XXXVI, 7. צִרְקָתָהּ כְּהַרְרֵי-אֵלֶּיךָ. Hic valde se torquet WIESNERVS (S. II. §. 8.) nec si eius valde verbosam explanationem legeris, quid sibi velit dicere potueris. Ipse vbique de celsissimis montibus loquitur, quum tamen neget, ita esse vertendum. Nam qui montem nominat, altitudinem simul menti subiicit ex ipsius sententia. Quasi vero non mons alterum celsitudine superet, nec mihi idea altitudinis sit exprimenda, si celsissimum montem, non quemcunque indicare velim. Nonne etiam TIBI, FLECCI, qui montem nominat, supponere montem a DEO creatum videtur? Recte dixerat VENERAB. WOLLIVS (p. 166.): *comprobat hic auxesin addita propositio altera ἰσοδυναμῶσα, in qua iudicia DEI hieropsaltes similia esse ait abyssō ῥῆμα magnaē.* WIESNERVS elucere inde potius putat, nomen DEI alia de causa adesse: siquidem alias plane futurum fuisset superuacaneum. Qui id inde sequi putet, ipse non indicauit, nec ego tam sagax sum, vt diuinare possim. Nam vbi montes, ibi etiam abyssus, vbi abyssus magna, magni ibi montes sint oportet. Hinc si propositiones ita velis collocare:

צִרְקָתָהּ כְּהַרְרֵי-אֵלֶּיךָ  
מִשְׁפָּטֶיךָ תְּהוּם רֶבֶה

facile patet, quemadmodum צִרְקָה et מִשְׁפָּט vnum idemque sunt: ita etiam אֵלֶּיךָ et תְּהוּם רֶבֶה. Hic autem תְּהוּם non mare, sed locum profundum indicat, seu vallem ex oppositione montis.

Iusti-

Iustitia autem DEI similis est montibus celsissimis, quia hi firmi sunt, atque immobiles.

In loco *Pf.* LXXX, 11. si אֲרָזֵי-אֱלֹהִים verteris cedros a DEO creatas, omnis fere peribit carminis elegantia. Nam hoc iam constat cedrum non esse nisi a DEO creatam: sed verte: *umbra eius* (vitis v. 9.) *operuit montes, eiusque rami cedros altissimas*, (fortasse subintelligendum est, *exaequant* aut tantum כִּי similitudinis); tunc demum intelliges, quid sibi velit diuinus vates, et optime cum vniuerso carmine haec cohaerebunt.

*Cant.* VIII, 6. שֵׁלֶהֶבֶת-יְהוָה esse flammam ardentissimam patet cuilibet attente locum legenti. *Amor* (intellige *tuus* loquitur sponsa de amore sponsi) *fortis est vt mors, studium durum* (i. e. difficile, mutari nequit) *vt infernus, prunae eius, prunae ardentes, flamma flagrantissima.* WIESNERVS: *DEI flamma dicitur tanquam subiecti in quo.* Sed hoc plane turbat intelligentiam sermonis. In hoc versu ter amor diuini sponsi per similitudinem aliquam exprimitur, fortis est sicut mors, quae omnes vincit; durus est sicut infernus (i. e. locus, in quo defuncti vita sunt, qui se exorari non sinit, vt quemquam remittat, sic nec sponsi amor remittit) prunae seu scintillae amoris sunt prunae ardentes, quid? quod flamma flagrantissima. Quemadmodum igitur mors et infernus vim amoris exprimunt, ita etiam flamma DEI. Sed per mitte mihi, FLECCI, VIR DOCTISSIME, vt alia ratione hoc elegantissimum oraculum explicare tendem. Haud scio, an *flamma DEI* hic proprie sit accipienda, quemadmodum alias אֵשׁ אֱלֹהִים *Iob.* I, 16. *Num.* XI, 1. quo fulmen indicatur, Apprime haec explicatio huic loco apta videtur. Fulmina enim quicquid tangunt adurunt, atque consumunt. Hoc modo vis diuini amoris eleganter describitur. Fortasse etiam אֵשׁ שֵׁלֶהֶבֶת-יְהוָה coniungi debet et est periphrasis fulminis vehementissimi. Sic אֵשׁ שֵׁלֶהֶבֶת-יְהוָה de fulmine etiam reperitur, *Pf.* LXXVIII, 48. Sed nihil hic definire audeo. Quemadmodum enim haec explicatio inter scribendum nata est, ita ipse nescio, quae alteri sit praeferenda. Omitto alios V. T. locos permultos, vnum praeterire non



possum. *Ion.* III, 3. Niniue dicitur עִיר־גְּדוֹלָה לְאֱלֹהִים. Riformum fortasse non teneres, DOCTISS. FLECCI, si legeres, quomodo ii se torquent, qui significationem intensiuam in h. l. agnoscere nolunt. WIESNERVS negat (S. II. §. XI.) 1) quia adiectiuum גְּדוֹלָה sufficere posset. Non vero sufficit ad exprimendum superlatiuum et praestantiam vrbis. Fortasse etiam aliquis dicat, v. c. *Genes.* I, 31. טוב sufficere potuisset, hinc non opus esse vt addatur מְאֹד sed hoc aliter esse interpretandum. 2) quia vasta vrbis amplitudo ex addita descriptione elucet. Sed his verbis ratio redditur, cur Ionas fecerit iter trium dierum. Niniue fuit singularis et inusitatae magnitudinis, hinc opus fuit, vt per tres dies iter faceret, antequam iussa DEI exponeret. 3) quod prima vice tantum dicitur הגְּדוֹלָה sine nomine DEI, sed nos inuertere possumus. Paulo ante dixerat WIESNERVS particulam ה in eo loco esse emphaticam et superlatiuam efficere phrasin. Hoc quamvis valde incertum, assumamus FLECCI DOCTISS., vides, quid inde sequatur. Hic articulus ה non adest, ergo לְאֱלֹהִים loco eius erit. Putat denique WIESNERVS, si haec vox magnitudinem exprimeret, prima vice fuisset addenda, quum DEVS iter Ionae mandaret. Ipse vero explicat ita, vt sit Niniue peculiari prorsus modo ciuitas DEI. Sed cur hoc DEVS in primo mandato Ionae non dixerat? Fortasse Ionas fugam non dedisset, cur hic vero indicatur, vbi de vasta vrbis magnitudine sermo est? Ex N. T. vnum tantum locum afferam, *Act.* VII, 20. Moses fuisse fertur ἀσείτος τῷ Θεῷ. Agnoscis statim Hebraismum, PLVR. REVERENDE FLECCI. Hebraice haud dubie esset לְאֱלֹהִים טוב puer venustissimus, atque haec venustas cepit filiam Pharaonis. Sit, quod WIESNERVS ait, DEVM exornasse Mosen singulari pulchritudine, proprie tamen auctor non indicatur. Supra dicebam CLARISS. FLECCI, in eiusmodi dicendi formulis non modo magnitudinis, sed etiam praestantiae notionem esse quaerendam, quod etiam exempla allata satis confirmant. Nam vbique res eximia et praestantissima innuitur. Sed est vnus inprimis locus, quem ad hanc regulam explicandam puto, qui vero mihi in illa opinione repugnare videtur. Reperitur *Genes.* XXX, 8. et fudes in oculis est CLARISS. WIESNERO. Hinc (S. I. §. X.) rixam Iehouae aequae absur-



absurdum putat ac nefas Iehouae, quod grauissimam putat profanationem, immo blasphemiam. Sed haud dubie hac in re errat VIR DOCTISS. Plerique interpretes magnitudinem tantum attendunt vertentes: luctationes maximas, vehementissimas. Hoc WIESNERO non probatur, nec mihi. Verum si praestantiam simul attendissent נפתולי אלהים vertissent luctationes magnificas atque eximias. Profecto enim fuit magnificum certamen, quum Rahel nihil magis, quam prolem copiosam cupiens fortasse propter Messiam promissum, quodammodo tamen voti facta erat compos. Nulla igitur hic diuini nominis profanatio cernitur, sed omnia optime cohaerent. Atque adeo vniuersa regula tantum abest, vt Nomen Diuinum profanet, vt potius praestantiam Maiestatis Diuinae ante oculos ponat: quia res optimae et praestantissimae tantum nomine DEI addito describuntur.

Haec sunt, REVERENDE atque CLARISSIME FLECCI, quae aduersus CELEB. WIESNERVM disputanda mihi sumseram. TV animum meum nosti veritatis esse valde studiosum, nec cuiuspiam facile famam laedere. Et quid iuuant istae lites, quae non veritatis causa suscipiuntur, sed in quibus nil nisi occasio alterum laedendi obprobriisque cumulandi arripitur? Profecto eiusmodi disputationes viris doctis, quos nihil magis humanitate decet, plane sunt indignae. Video humanitatem WIESNERI permagnam esse, et WOLLIVM, quem sibi aduersarium elegit, perquam honorifice ab ipso tractari: hinc eodem modo mihi fuit tractandus. Neque quicquam me scribere memini, quod animum prodat inimicum aut conuitiis et obrectationibus fauentem. Multa in ipsius disputationibus non nisi laudem merentur, in multis sibi me habet consentientem: sed quum breuitati studerem, ea plane omisi, quae non ad rem pertinere viderentur.

En vero epistolam, quae fere modum excedit, et quae TE fortasse diutius in his nuptiarum feriis defatigauit. Rogo vero TE, optime Amice, permitte, vt, antequam TE dimittam, tribus tantum verbis nostrae sodalitatis voluntatem atque vota declarem. Quod si IDIA TVA TE anxie expectauerit terque quaterque vocauerit





cauerit, quaeratue, cur ipsam tam diu in his nuptiis solam relique-  
ris, tunc dicas velim Beyerum TE detinuisse, qui nesciuerit, qui-  
bus tandem faustis ominibus VESTRAS nuptias profequeretur.  
Dicas ei amicos, qui TE oculis suis habeant cariorem pro TVA  
eiusque salute DEVM O. M. indefessis rogare precibus, nec nihil  
magis habere in votis, quam vt ista ipsius TE cum coniunctio sit  
יְהוָה לְיָהוָה בְּרוּכָה לְיָהוָה TIBIque sollempni ritu acclamare: אֵת-  
אֵת-הָאִשָּׁה הַבָּאָה אֵל-בֵּיתְךָ בְּרַחֵם וְכִלְאַה אֲשֶׁר-בְּנֵי שְׂתֵיחָם  
(Ruth. IV, 18.) אֵת-בֵּית יִשְׂרָאֵל

Atque ita me nosque omnes TVAE beniuolentiae amicitiae-  
que habeas commendatissimos. Vale meque amare perge. Scripsi  
Lipsiae a. d. XII. Cal. Octobr. c1o 1o cclxiii.

